

*Monasterij*

*Gengenbach.*

# VIRIS

*Prænobilissimis, Strenuis & Excellentissimis  
PHILOSOPHIÆ & MEDICINÆ*

# DOCTORIBUS

*Ex Libris Joannis Experientissimis Fratris Pol. de Rham  
Cordigny.*

**ARCHIATRIS, POLIATRIS,  
MEDICIS CASTRENSIBUS.**

*Ut &*  
**CANDIDATIS DIGNIS,  
&  
CONSECRATIS FILIIS STUDIOSIS.**

*Nec non*

*Maxime Conspicuis, Praeclarissimis  
& Nominatisimis*

**PHARMACEVTICÆ ARTIS  
MAGISTRIS PERITISSIMIS,  
eiusdemque**

*CVLTORIBVS INGENVIS ac INDEFESSIS,*

**MEDICINAM**

*Simil ac*  
**PHARMACOPÆAM**  
Per universum Terrarum Orbem, præcipue vero  
per Germaniam feliciter excentibus

**DOMINIS, FAUTORIBUS AMICIS,**  
*Colendissimis, Honoratissimis, Aestumatisimis,*

**JOHANN. CHRISTOPH. Sommerhoff.**  
*S. P. D.*

*(\*) 5*

Dudum



**D**udum est, quod à Cordatis Viris, iisque cùm Medicis, tūm Pharmacopœis desiderari senserim, dilucidam brevemq; Explicationem, Pharmaceuticorum pariter ac Chymicorum Terminorum. Unde persuasus, me à Pœoniæ Artis Filiis nonnullam gratiam initurum esse, si id ipsum molirer, Laborem in privatos primō tantum usus aggressus, velut Apes ex variis floribus Mel, ita ego ex plerisque Lexicis Medico-Chymicis, omnia huc spectantia Vocabula, cùm potissimum usu hodienum recepta, tūm obsoleta minusque nota, impigro labore congerere, inque unum Volumen cogere cœpi. Quod, cùm ingens in diem sumpsiisset incrementum, cum Fautoribus atque Amicis, uti solemus, id communicare visum est, qui precibus non minus, quam continuis adhortationibus, subinde me defatigare satergerunt, ne in annos premam tanto desiderio haetenus expectatum Opus, sed in lucem publicam quamprimum emittam, rati, fore, ut id ceu certam Cynosuram sequi valeant cupidi discendi Tirones, quibus hâc velut prælatâ face, in intimiora Medicinæ pandatur aditus.

Jam, quemadmodum tantorum Virorum nutui, qui miti pro imperio mihi est, quicquam denegare nefas duxi; ita absolute Opere nihil magis curæ mihi cordique esse debuit, quam ut de tutelaribus quasi Numinibus dispicerem, quorum Reverenda Nomina, pro recepta antiquissima Veterum consuetudine, Libri frontispicio affigere liceat. Inter quæ, cum pro tali instituto non solum Vos, Viri Incluti! qui Authores hujus Laboris mihi extitistis, sed & Vos Cœteri! qui per universum Terrarum Orbem, imprimis verò per Germaniam,

◆ ◆ ◆

am, Medicam simul ac Pharmaceuticam Artem laudabiliter exercetis,  
eligere consultissimum ratus sim, ideo Vobis, Viri Colendissimi, Ho-  
noratissimique! hocce meum Lexicon inscribere ac sacrum facere,  
audaci animo sustinui.

Vehementer ergo etiam atque etiam Vos rogo, serenâ fronte &  
æquo animo accipere velitis, quod candido bonoque offero, simul  
obtestans, ut meis qualibusunque conatibus favere, contra male-  
volorum insultus atque latratus me tueri, ac ipsum hocce Dictiona-  
rium nostrum, siquidem, ut spero, aliquam exinde utilitatem & fru-  
ctum Medicinæ & Pharmaceuticæ Artis Tirones percepturos ali-  
quando esse cognoveritis, illud iis commendare haud gravatim di-  
gnemini. Hoc, feceritis rem vestris Nominibus congruam, mihi-  
que pergratam, sed & omnibus gratissimam, si Vos non piguerit,  
commissas forte hallucinationes, quas ne oculatissimus Argus ubique  
evitare potuisset, remendare, mutila resarcire, Sphalmata corri-  
re, omissa supplere, &, verbo, omnia æquj bonique consulere.

Valete Viri Meritissimi! & me, quod facitis, Vestro favore potro pro-  
sequimini, dum interim ego pro salute & incolumentate Vestra, su-  
pernum Numen piis implorare precibus, nunquam desinam.

Iterum Valete. Dabam Neo-Hanoviæ, ad Diem

19. Januar. 1701.



Lieber